34.1.L.707a

3

ODAE

PVBLICE DECANTATAE.

DVM IN COLLEGIO
ROMANO.

PHILOSOPHIÆ THESES
DEFENDERET

NICOLAVS PIZZORNVS
Ianuenſis

COLLEGII S. HIERONYMI
Matthæiorum Alumnus.

ROMAE,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1621.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici:

P. Epiſcopus de Curte Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Ignatius Ciantes Lector, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Ord. Præd.

ODE II.

NImis ah durus, nimis ah ferox
Fuit, audaci qui bella manu
Primus mouit, celeriq. prior
Docuit mortem properare pede.
Surdior vndis, ſæuior vrſis
Ferus ille fuit; ferreus immo
Fuit, vndantes qui nece campos,
Strataq. duris pectora telis,
Et fædatos ſanguine vultus
Oculis potuit cernere ſiccis:
Quem nec rigido terruit enſe
Bellona furens, Regumue minæ,
Aut impatiens militis ira:
Qui nec trepida litui murmur,
Ærisq. ſonos ebibit aure.
Ah ſi tantum fera bella placent,

Atque alieno paſcere viſus
Funere; campo ludite in iſto:
Fictaq. fictis ducite in armis
Agmina nullo noxia ferro.
Cadat hic pugnæ ſignifer omen,
Aequore toto ſed multa prius
Corpora ſternat; cadat & ſæuo
Vulnere ſonipes, dum male cautus
Timida exultim ludit in acie.
At parte alia fortis Amazon
Edat apertis funera caſtris,
Donec tumida cæde ſuperba
Vetet aduerſum ſtare tyrannum,
Atque ingenti clade ſubactum
Cogat inermes tendere dextras,
Humili & vitam voce precari.
Hæc bella placent, hæc bella iuuant.
Iuuat hoc campo conferre manus,
Geminiq. ducis ſub præſidio
Iuuat ingenij prælia ſerere

ODE

O D E I I I.

VIden vt latrunculorum
Geminatus errat ordo,
Niger alter, albus alter.
Sed vterque te docebit
Vero explicare campo
Non ficta, non iocantum
Simulacra præliorum.
Fera bella, vera bella
Mentitus erudito
Docet alueus lapillo.
Age fronde martiali
Redimita turba frontem
Simulata diſcolori
Molire bella campo.
Lude, plaude
Dardana proles, ludicra pubes.

Age

Age turba militaris,
Age lude: mox cruento
Caput indues metallo:
Age ludibunda pubes
Lude, plaude
Dardana proles, ludicra pubes.
Mox hoſtibus ſubactis
Dabis vna tot ruinas,
Quot ſternit aura frondes,
Quot criſpat Eurus vndas.
Lude, plaude
Dardana proles, ludicra pubes.
Age miles, & iocoſo
Generoſus in theatro
Simulacra ficta belli
Simulata finge bella.
Bona bella prælianti,
Viduata quæ cruore
Caput implicant coronis,
Latera ambiunt trophæis.
Lude,

Lude, plaude
Dardana proles, ludicra pubes;
Cernis ne, mollicellam
Vt perflet Eurus auram:
Per amica vela ludit,
Aquila icta ter. reludit,
Celerique ludibunda
Aquila annuit volatu.
Age turba diſcolori
Molire bella campo.
Lude, plaude
Dardana proles, ludicra pubes.
Vetus eſt genus iocandi,
Sed eſt perennis vſus,
Sua reſtititque ludo
Æternitas vetuſto.
En veſtra gloriatur
Notare ſigna gentis,
Domus ò parens honorum,
Domus ò potens auorum;

Reci-

Recipique gaudet inter
Monumenta priſca laudum.
Vos veſtra me ſequutum
Sat ſigna, ludibundo
Docuiſtis arma campo.
Nunc vera poſco bella.
Labor iſte præliandi
Meus eſto: ſed triumphi
Vobis honor dicandus.
Mea palma vos coronet.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA